

## IN CONVERSIONE BEATI PAULI

### S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

1. --- In illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te (Mt 19, 27)*. In hoc Evangelio duo notantur: apostolica celsitudo in iudicio, et transitoria relinquentium remuneratio.

#### I - De apostolica celsitudine in iudicio

2. --- Apostolica celsitudo, ut ibi: *Ecce nos reliquimus omnia*. Petrus, *cursor levis, explicans vias suas (Ier 2, 23)*, dicit: *Ecce nos reliquimus omnia*. Petre, recte fecisti, non enim currentem sequi poteris oneratus. Paulo superius audierat Dominum dicentem: *Amen dico vobis, quia difficile dives intrabit in regnum caelorum (Mt 19, 27)*; ideo, ut facile intraret, omnia reliquit.

Quae *omnia*? Exteriora et interiora, id est habita et habendi voluntatem, ita reliquimus, quod nobis nullae reliquiae remanserunt. De quibus dicit Dominus XIV Isaiae: *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem (Is 14, 22)*. Nomen Babylonis, nomen proprietatis, utpote meum, tuum. Non tantum Christus in apostolis hoc *nomen*, sed *reliquias* proprietatis perdidit; et non solum haec, sed etiam *germen*, id est tentationem habendi, *et progeniem*, id est voluntatem possidendi. Felices illi religiosi, in quibus ista perduntur, quia vere poterunt dicere: *Ecce nos reliquimus omnia*.

Aspicite apostolos volantes. Unde Isaia LX: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? (Is 60,8)*. Nubes sunt leves. Apostoli, deposito mundi

onere, leves, pennis amoris, volabant post Iesum. De quibus Iob XXXVII: *Numquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias? (Iob 37, 16)*. Semita magna, omnia relinquere: angusta in peregrinatione, magna in retributione; perfecta scientia, Iesum diligere, post ipsum ire. Istae fuerunt semitae et scientiae apostolorum, qui quasi columbae volaverunt ad fenestras suas. Fenestrae dictae, ferentes extra. Apostoli et apostolici viri, velut *columbae* simplices et innocentes, ideo a terrenis avolarunt, ut fenestras sensuum custodirent, ne per ipsos ad exteriora, quae reliquerant, exirent. Per has fenestras egressa est illa columba seducta, non habens cor. Genesi XXXIV: Egressa est, inquit, Dina, ut videret mulieres regionis illius. Quam Sichem rapuit et virginitate privavit (Cf. Gen 34, 1-2). Sic infelix anima fertur extra per corporis sensus, ut videat pulchritudines mundi; quae, dum huc illucque vagatur, a diabolo per consensum rapitur et per effectum corrumpitur. Ecce dispar volatus. Isti a terrenis ad superiora, illa a superioribus ad terrena; illa volat ad diabolum, isti ad Christum.

3. --- Unde sequitur: *Et secuti sumus te (Mt 19, 27)*. Propter te omnia reliquimus, pauperes facti sumus. Sed quia tu dives es, secuti sumus te, ut nos facias divites. Miserabiliores omnibus hominibus, illi religiosi, qui omnia relinquunt, et Christum tamen non sequuntur. Istis duplex malum evenit. Omnis consolatio exterior abest; nulla consolatio interior adest; qua si mundani carent, tamen exteriorem habent. *Secuti sumus te*, creatura Creatorem, filii patrem, pulli matrem, famelici panem, sitibundi fontem, infirmi medicum, lassi reclinatorium, exsules paradisum. *Secuti sumus te*: In odorem unguentorum tuorum currimus (Cf. Cant 1, 3), quia *odor unguentorum tuorum super omnia aromata (Cant 4, 10)*.

Dicitur in NATURALIBUS, quod panthera mirabilis est

pulchritudinis, cuius odor tantae est suavitatis, ut omnia superet aromata. Et ideo, cum cetera animalia eam persentiunt, continuo conveniunt, et ipsam sequuntur, eo quod ipsius odore et contemplatione mirabiliter reficiantur. Dominus noster Iesus Christus quantae sit pulchritudinis et suavitatis beati experiuntur in patria, iusti utcumque degustant in via. Huius suavitatem ut apostoli persenserunt, continuo, omnibus relictis, secuti sunt eum.

*Secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? (Mt 1.c.).* Iob III: *Quasi effodientes thesaurum; gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum (Iob 3, 21-22).* Thesaurus in sepulcro, Deus in corpore, de Virgine assumpto. Iam, o apostoli, thesaurum invenistis, iam totum habetis; et quid amplius quaeritis? *Quid ergo erit nobis?* Et quid amplius erit vobis? Servate quod invenistis, quia ipsum est omne quod quaeritis. Ibi est, ut dicit Baruch III, sapientia, prudentia, virtus, intellectus, longiturnitas vitae et victus, lumen oculorum et pax (Cf. Bar 3, 12.14). Sapientia, qua cuncta creat; prudentia, qua creata gubernat; virtus, qua diabolum refrenat; intellectus, quo omnia penetrat; longiturnitas vitae, qua suos perpetuat; victus, quo satiat; lux, qua clarificat; pax, qua tranquillat.

4. --- Sequitur: *Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me (Mt 19, 28).* Non dixit: *Qui reliquistis,* sed: *Qui secuti estis me;* quod proprie est apostolorum et perfectorum. Multi sua relinquunt, et tamen Christum non sequuntur, quia, ut ita dicam, se tenent. Si vis sequi et consequi, te oportet te relinquere. Ille qui alium in via sequitur, non ad se, sed ad illum aspicit, quem ducem viae suae constituit. Se relinquere est: de se in nullo confidere, inutilem se, cum omnia quae praecepta sunt fecerit, reputare, se velut canem mortuum, vel pulicem unum contemnere, nulli in corde suo se antepone, omnibus etiam maximis peccatoribus se

inferiorem recogitare, omnes iustitias suas quasi pannum menstruatae considerare (cf. Is 64,6), se ante se ponere, et tamquam mortuum plangere, in omnibus sibi vilescere, et se totum in Deum proicere. Quid taliter sequentibus promittatur, audiamus.

*In regeneratione:* fit in Baptismo prima regeneratio in anima, fiet in iudicio secunda in corpore quando mortui resurgent incorrupti; *cum sederit Filius hominis*, idest forma servi, quae iudicata est, iudiciariam exercuerit potestatem, *in sede maiestatis suae*, idest Ecclesia, qua omnipotentia eius apparebit, *sedebitis et vos super sedes duodecim (Mt l.c.)*. Si duodecim apostoli tantum in iudicio cum Christo iudicabunt, sedentes super sedes duodecim, ubi sedebit ille Paulus, *vas electionis (Act 9,15)*, hodie de lupo factus agnus, qui plus omnibus laboravit, qui ad tertium caelum raptus fuit, ubi secreta quae non licet homini loqui audivit? (Cf. 2 Cor 12, 2.4). Ubi, obsecro, talis ac tantus sedebit, si tantum duodecim sedes iudicantium in iudicio erunt, cum ipse maxime dicat: *Nescitis, quia angelos, scilicet malignos, iudicabimus?*

Ad hoc sciendum quod duodenarius ponitur pro plenitudine potestatis, et duodecim tribus Israel pro omnibus iudicandis. Ecce quod pauperes cum paupere Iesu, filio Virginis pauperulae, iudicant orbem terrae in aequitate (Cf. Ps 9,9; 95,13). Iob XXXVI: *Deus non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuet (Iob 36, 5.6)*. *Pauperibus*, inquit, non divitibus, *quorum gloria in confusione ipsorum (Phil 3, 19)*. Tunc enim confundentur, cum viderint quos aliquando habuerunt in derisum et in similitudinem improperii (Cf. Sap 5, 3), cum Christo in iudicio sedere, et sedendo iudicare.

**II - De transitoria relinquentium remuneratione**

5. --- Transitoria relinquentium remuneratio, ut ibi: *Et omnis qui reliquerit domum etc. (Mt 19, 29)*, idest omnes affectus carnis caritati meae supposuerit.

6. --- MORALITER. Domus, mala consuetudo; fratres, sensus corporis; sorores, cogitationes vagae mentis; pater, diabolus; mater, sensualitas; uxor, mundi vanitas; filii, opera; ager, sollicitudo. Secundum ordinem humanae generationis, disponamus et generationem peccatoris, qui de filio Dei fit filius diaboli. Ex diaboli suggestionem et sensualitatis concupiscentia, velut duobus seminibus, generatur peccator. Unde dicitur in Ezechiele XVI: *Pater tuus Amorrhaeus et mater tua Cethaea (Ez 16, 3)*.

Amorrhaeus amaricans interpretatur. Quantae amaritudinis sit diabolus, illi noverunt qui eius dulcedine sunt infecti, cuius dulcedo vermis. Nullus eius sentiet amaritudinem, nisi prius eius biberit dulcem potionem. Unde Habacuc II: *Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem eius! Repletus est ignominia pro gloria (Hab 2, 15-16)*. Diabolus, ut facilius decipiat, et peccator securius bibat, primo ponit mel delectationis, ut, dum illud suavius hauritur, amaritudo mortis incorporetur; et sic peccator, diaboli amicus, gratia Dei in praesenti nudatur, et in futuro pro gloria mundi ignominia inferni replebitur.

Item, Cethaea interpretatur confracta. Haec est concupiscentia sensualitatis, quae debet confringi sub iugo humilitatis, de quo Ecclesiasticus XXXIII: *Iugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduae. Servo malevolo tortura et compedes; mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas (Eccli 33, 27-29)*. Servus, sensualitas; cuius superbia curvatur iugo humilitatis, cuius lascivia refrenatur tortura abstinentiae et compede obedientiae.

**Ecce pater et mater peccatoris, cuius fratres sunt illiciti sensuum appetitus. Isti sunt fratres Ioseph, qui eum mittunt in cisternam veterem. Ioseph, spiritus hominis; cisterna vetus, mortale peccatum vel infernus. Isti fratres, ut dicitur Ioanne VII, volunt, ut ascendat spiritus ad diem festum hunc, idest gloriam temporalium. De istis dicit Iob VI: *Fratres mei praeterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus* (Iob 6, 15). Ad convalles decurrunt sordes. Sensus carnis ad convalles gulae et luxuriae cum impetu decurrunt, de miseria spiritus nihil curantes.**

**Item, soror ex semine est dicta, quod sola cum fratribus in sorte cognationis habeatur. Sorores peccatoris sunt molles cogitationes mentis, quae ex semine diabolicae suggestionis oriuntur, de quibus Ezechiel XXIII: *Duae mulieres filiae unius matris fuerunt; et fornicatae sunt in Aegypto. Nomina earum, Oolla maior, et Ooliba soror eius minor* (Ez 23, 2-3.4). Duae sunt speciales cogitationes, quibus hodie maxime mens peccatoris corrumpitur, scilicet cupiditas pecuniae et delectatio luxuriae, quae sunt velut duae sorores fornicariae.**

**Item, uxor peccatoris, mundi vanitas. Haec est Iezabel, uxor Achab, de qua dicitur tertio Regum XXI: *Concitavit eum Iezabel uxor sua, et abominabilis effectus est in tantum ut sequeretur idola* (3 Reg 21, 25-26). Iezabel interpretatur fluxus sanguinis vel fluens sanguinem vel sterquilinum. Haec est mundi vanitas, a qua fluit sanguis totius peccati, quae in mortis articulo in sterquilinum convertetur. Unde primo Machabaeorum II: *Gloria peccatoris stercus et vermis est. Hodie extollitur et cras non invenietur, quia conversus est in terram, et cogitatio eius periet* (1 Mach 2, 62-63). Haec uxor non permittit virum suum stare in pace, sed concitat eum, ut sequatur idola, idest diversa peccatorum genera, et ideo abominabilis fit Deo.**

7. --- Postquam diabolus filio suo dedit uxorem, vult ut ex ea filios generet, ipsius diaboli nepotes, in quibus opera vana et morte aeterna digna et tenebrosa designantur. De quibus, secundo Esdrae XIII, Nehemias dicit: *Vidi Iudaeos, ducentes uxores Moabitidas. Et filii eorum loquebantur azotice, et nesciebant loqui iudaice (2 Esd 13, 23-24)*. Moab ex patre, Azotus incendium vel ignis interpretatur. Sic hodie multi christiani et religiosi ducunt uxores, idest mundi vanitates, a diabolo genitas, ex quibus progenerant filios, idest opera, quae nesciunt loqui iudaice, idest Deum laudare, sed tantum azotice, idest incendium gulae et luxuriae et ignem avaritiae.

Ecce *generatio prava atque perversa (Deut 32, 5)*, cui diabolus dat domum malae consuetudinis. Haec est domus et fornax ferrea Aegypti, de qua Exodo XIII: *Mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto et de domo servitutis (Ex 13, 3)*. Dies est sol lucens super terram; sol est gratia Dei, quae, cum mentem illuminat, a servitute malae consuetudinis liberat. *Diei huius peccator iam liberatus debet recolere, et gratias semper referre.*

Dat etiam agros terrenae sollicitudinis: Ager dictus, quod in eo aliquid agatur. Genesi IV: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel, et interfecit eum (Gen 4,8)*. Cain possessio, Abel luctus interpretatur. In agro terrenae sollicitudinis possessio divitiarum interficit luctum poenitentiae. Hic est *Haceldama, hoc est, Ager sanguinis (Act 1, 19)*. *Agros, dixit (Mt 19, 29)*, non agrum, propter multiplicem sollicitudinem temporalium.

Omnis ergo qui haec omnia reliquerit, *centuplum*, idest spiritualia, in praesenti *accipiet*, quae comparatione et merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius comparetur. Marcus ait: *Centies tantum, nunc in tempore hoc, cum persecutionibus*, idest in hac vita

persecutionibus plena, gaudium regni degustat, *et in futuro vitam aeternam possidebit (Mt 1.c.)*. Ad cuius possessionem nos perducatur, qui est benedictus in saecula. Amen.

### III - Sermo allegoricus

8. --- Praecepit Ioseph poni scyphum suum argenteum in ore sacci iunioris Benjamin (Cf. Gen 44, 1-2). Hoc Genesi XLIV. Simile quid Parabolis X: *Argentum electum lingua iusti (Prov 10, 20)*. Benjamin prius vocatus fuit Benoni, idest filius doloris mei, postea Benjamin, idest filius dexterarum (Cf. Gen 35,18). Hic est beatus Paulus, qui de seipso ad Philippenses III: *Ego, inquit, circumcissus octava die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, hebraeus ex hebraeis, secundum legem pharisaeus, secundum aemulationem persequens Ecclesiam Dei (Phil 3, 5-6)*.

Ecce Benoni. Prius enim filius doloris, postea dexterarum. Audi de filio doloris. Actus IX: *Saulus adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini etc. (Act 9, 1)*. Saulus interpretatur tentatio. Ubi tentatio, ibi dolor. Audi tentationem et dolorem. Actus VIII: *Saulus devastabat Ecclesiam, per domos intrans et trahens viros ac mulieres in custodiam (Act 8, 3)*. Caput Ecclesiae erat in caelo; pedes ambulabant in terra, quos Saulus calcabat; et ideo caput in caelo clamabat: *Saule, Saule, quid me persequeris? (Act 9,4)*. Iste tentabat; ille quasi dolebat, et clamabat: Tentatio, tentatio, quid me persequeris? Et quid inde consequeris? Consequeris utique! quia pro una persecutione quinquies quadragenas, una minus, accipies (Cf. 2 Cor 11, 24). Tentationes habebis *in itineribus saepe: periculis fluminum, periculis latronum (2 Cor 11,26)*. Filius es doloris, et dolorem sustinebis, quia ter virgis caedendus, semel lapidandus, ter naufragium factururus (Cf. 2 Cor 11, 25).



Audivimus de Benoni; audiamus et de Benjamin, et quomodo filius doloris hodie conversus fuerit in filium dexteræ, quæ hodie prostravit lupum et erexit agnum. *Et cum iter, inquit Lucas, faceret, contigit ut appropinquaret Damascum, et subito circumfulsit eum lux de caelo. Et cadens in terram audivit vocem, hebraica lingua, dicentem sibi: Saule, etc. (Act 9, 3-4).* Dexteræ dicta, dans extra. Illa Omnipotentis dexteræ talem dedit extra, in collo duro rhinocerotis, colaphum, quod eum cadere fecit in terram. *Circumfulsit eum* media die *lux de caelo* supra splendorem solis. O piæ, o benignæ dexteræ correctio! Flagello lucis corripit, dulci voce reprehendit: *Quid me persequeris? (Act 9,4).* Hodie impletum est quod scriptum est: *Dexteræ Domini fecit virtutem (Ps 117, 16).* Saulum persecutorem prostrando, dexteræ Domini ipsum exaltavit, cum de lupo fecit agnum, de persecutore Ecclesiæ prædicatorem.

9. --- *Dexteræ Domini fecit virtutem, cum in ore sacci ipsius scyphum argenteum reposuit. Unde: Vade, Anania, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel (Act 9, 15).* Scyphus argenteus, clara et eloquens sapientia, quam Ioseph, idest Christus, speciali prærogativa in corde et ore iunioris Benjamin, idest beati Pauli, posuit. Benjamin fuit minimus et novissimus omnium fratrum suorum; et Paulus in epistola ad Corinthios prima, XV: *Novissime, inquit, omnium tamquam abortivo, visus est et mihi. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus etc. (1 Cor 15, 8-9).* Minimus dictus, a nomine monadis, quod post eum numerum non sit alter. O humilitas minimi! Non de prærogativa sapientiæ et eloquentiæ, non de magnitudine revelationum et miraculorum, non de arcanis secretorum, quæ audivit, gloriatur, vel se extollit; sed de persecutione, quam Ecclesiæ fecerat, seipsum plangit. *Non, inquit, dignus sum vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam*

***Dei (1 Cor 15,9). Vae nobis miseris, qui multa mala nostra oculis nostris, ut ea non videamus, subducimus; et si unum bonum, quod est fere nullum, habemus, ante oculos ponimus et aliis ostendimus. Deberemus facere sicut ribaldi faciunt, qui cum lucrari volunt, vestes bonas, si quas habent, in abscondito reponunt, et nuditatem et miseriam suam divitibus huius saeculi ostendunt. Sic et nos, si qua bona habemus, abscondamus, et culpae et infirmitatis nostrae miseriam ostendamus, ut a Domino gratiae beneficium recipiamus.***

**Gratias ergo referamus Iesu Nazareno, qui hodie de persecutore nobis fecit mirabilem doctorem, cuius doctrina ipse nos illuminet, qui est benedictus in saecula. Amen.**

#### **IV - Sermo moralis**

**10. --- Praecepit Ioseph scyphum poni etc. Quid Benjamin, quid eius saccus et os sacci, quid scyphus argenteus moraliter significant, videamus.**

**Benjamin, poenitens, qui prius doloris filius est; de quo: *Dolor, inquit, meus in conspectu meo semper (Ps 37,18)*. Nota quod dicit *in conspectu meo*. Dicitur quod struthio ponit ova sua ante se, et fixo et assiduo visu ipsa prospicit et prospiciendo fovet, et sic ova pullificant. Sic peccator debet opera sua in conspectu mentis ponere et ea saepe et intente cum dolore considerare, ut ex ipsis valeat fructum poenitentiae producere. Qui se ante se poneret, in se nihil aliud quam dolorem inveniret. Sed miseri peccatores faciunt sicut simiae, de quibus dicitur in **NATURALIBUS**, quod plena luna exultant, cornuta tristantur; filios quos diligunt ante se gestant; illos vero quos negligunt retro se ponunt. Ludus fortunae variatur imagine lunae; crescit et decrescit, in eodem sistere nescit. Quando mundi fortuna plena est, tunc carnales**

exultant. Unde Iob XXI: *Exultant iusibus; tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (Iob 21, 11-13)*. Punctum a pungendo est dictum. In hora mortis mundani a diabolo ita pungentur fortiter, quod de lecto, in quo iacent, oportebit eos saltum facere in infernum. Cum vero cornua adversitatis eis ostendit, tristantur, quia adversa deiciunt, prospera elevant. Isti filios, idest mundi gloriam, carnis gulam et luxuriam, quae diligunt, in pectore portant; dolorem vero poenitentiae, miseriam huius vitae, retro, ubi non vident, ponunt.

Sed Benoni quid faciat audiamus. *Dolor*, inquit, *in conspectu meo semper*. Quia dolorem diligit, ipsum in conspectu suo ponit et in eo velut in speculo se conspicit, maculas suas deprehendit. Unde Ieremias: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam (Ier 31, 21)*. Nota ista tria verba: *statue*, *pone*, et *dirige*. Unum sequitur ex reliquo. Qui coram se speculum suae vitae statuit, amaritudinem sibi ponit, et cor suum in viam rectae operationis dirigit. Qui sic fuerit Benoni, erit et Benjamin, idest filius dexterarum.

11. --- Nota quod, duplex est dextera: gratia in praesenti et gloria in futuro. De dextera gratiae dicitur in Apocalypsi I: *Et habebat in dextera sua stellas septem (Apoc 1,16)*. Ista septem stellae ponuntur in lectione missae, ubi legitur de Saulo: Lux subito de caelo eum circumfulsit; in terram cecidit, et surgens civitatem intravit; visum recepit; baptismum suscepit; cibum accepit; Iesum praedicavit (Cf. Act 9, 3-4.8.18-19.20). In primo notatur gratiae praeventio, in secundo fragilitatis consideratio, in tertio propriae iniquitatis cognitio, in quarto conscientiae mundatio, in quinto lacrimarum effusio, in sexto contemplationis dulcedo, in septimo verbi annuntiatio vel gratiarum actio. De singulis videamus.

**Cum peccator tendit Damascum, qui interpretatur potus sanguinis, idest ad hoc tendit, ut peccati immunditiam sibi incorporet, subito, quia nescit unde veniat aut quo vadat, circumfulget eum lux de caelo, de qua Iob XXXVIII: Indica, inquit, mihi in qua via habitet lux, et quis tenebrarum locus sit; ut ducas unumquemque ad terminos suos. Lux, gratia; locus tenebrarum, mens peccatoris caeca; terminus peccati est finis. Cum mens peccatoris gratia illuminatur, peccato terminus ponitur.**

***In terram cecidit. Unde in Psalmo: In conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram (Ps 21,30). Ac si diceret: In conspectu Dei se humiliat qui fragilitatem suam considerat.***

***Ingredere civitatem. Unde: Tota die contristatus ingrediebar (Ps 37, 7). Foris pugnae, intus culpa. Si aliquis foris iniuria affectus fuisset, et post domum suam intraret, et ipsam immundam et incompositam inveniret, nonne contristatus doleret? Utique! Sic poenitens, attendens extrinsecam mundi malitiam et intrinsecam cognoscens suae conscientiae immunditiam, tota die contristatus ingreditur. Nota quod dicit: *tota die*. Antequam radius solis domum intret, non apparet intus pulvis in aere; si vero solis intraverit radius, videtur plena pulvere. Radius, cognitio; quae homini propriae conscientiae defectum ostendit, et quod prius latebat subtiliter revelat. Et quia non interpolate, sed continue debet quilibet ad se ingredi, et de se contristari, ideo dicit: *tota*. Qui totam suam miseriam vult cognoscere, non dimidia, sed tota die contristatus debet intrare. Et quia de hac contristatione pervenitur ad conscientiae emundationem, ideo sequitur quartum:***

***Visum recepit. Et confestim, inquit Lucas, ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae (Act 9,18). Simile quid Tobia XI: Coepit ex oculis eius albugo, quasi membrana***

*ovi, egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque lumen recepit Tobias (Tob 11,14-15).* Squama, mentis immunditia; ovi membrana, vanagloria. Ieremias, Threnis I: *Virgines eius squalidae (Lam 1, 4)*, idest scabiosae. Scabies in homine est quasi squama in pisce vel serpente. Ac si diceret: Etsi virgines sunt corpore, scabiosae sunt immunda mentis confricatione. Membrana ovi, quae subtilis est et candida, vanagloria, quae valde subtilis est, quia quod aliquando fieri creditur ex devotione, fit ex appetitu vanae gloriae; candida, quia exteriori apparentia delectatur. Candidus dictus, quasi candor datus studio, nam albus est natura. Ista duo excaecant homines, sed, cum per Dei gratiam extrahuntur, et conscientia mundatur et visus recuperatur.

Item, *Baptismum suscepit.* De quo in libro Iudith XII dicitur, quod Iudith *exibat nocte in vallem Bethuliae, et baptizabat se in fontem aquae (Iudith 12, 7).* Iudith confitens, Bethulia domus parturiens Dominum, nox interpretatur tempus quietum, vallis humilitas, fons lacrimae. Confitens ergo, idest poenitens, exit a tumultu interiori et exteriori, nocte, ad litteram, vel in silentio, in vallem Bethuliae, idest humilitatem conscientiae, qua parturit sibi Dominum in contritione, aliis in praedicatione, et ibi se baptizat in lacrimarum compunctione.

*Cibum accepit.* De quo Ecclesiasticus XV: *Cibavit illum pane vitae et intellectus (Eccli 15,3).* Nota quod, duplex est dulcedo contemplationis: una in affectu, et haec est vitae, alia in intellectu, et haec est scientiae. Ista fit in mentis sublevatione, alia in mentis alienatione. Mentis sublevatio est quando intelligentiae vivacitas divinitus irradiata humanae industriae metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transit, ita ut supra se sit quod videat, et tamen ab assuetis penitus non recedat. Mentis alienatio est quando praesentium memoria menti

excidit, et in peregrinum quemdam et humanae industriae invium animi statum divinae operationis transfiguratione transit. Qui tali cibo reficitur, confortatus bene potest Iesum praedicare vel ei gratias referre. Unde in Psalmo: *Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum (Ps 21,27)*. Pauperes, idest humiles, edent primo in intellectu et saturabuntur in affectu, et sic laudabunt Dominum.

Istae sunt septem stellae in Christi dextera, cuius filius est Benjamin, eo quod prius fuerit Benoni.

12. --- Iste Benjamin dicitur iunior, quia ceteris fratribus minor, in quo humilitas poenitentis designatur. Sic et de David dicitur primo Regum XVI: *Reliquus est parvulus, qui pascit oves (1 Reg 16, 11)*. Sola humilitas conscientiae pascit oves innocentiae. In ore sacci istius Benjamin praecepit vetus Ioseph poni scyphum suum argenteum. Scyphus argenteus, sonora peccatorum confessio, quam poenitens debet vino compunctionis implere et Iesu Christo propinare. Unde dicit Nehemias, secundo Esdrae II: *Levavi vinum et dedi regi. Et eram quasi languidus ante faciem eius (2 Esd 2, 1)*. Dicit sponsa in Canticis V: *Adiuro vos, filiae Ierusalem, idest caelestes virtutes, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore languo (Cant l.c.)*. Qui amore Christi languet, ei vinum compunctionis offert. Et nota quod, dicit *levavi*. Hypocrita non levat compunctionem, sed deprimit, quia pro vanagloria fundit lacrimas.

Iste scyphus argenteus ponitur in ore sacci et non in fundo. Saccus hispidus, cor contritum, de quo Iona III dicitur, quod rex Ninive *indutus est sacco, et sedit in cinere (Ion 3,6)*. Ninive interpretatur speciosa. Haec est mundi vanitas, quae est velut lutum nive coopertum; cuius rex est poenitens, quia ipsam conculcat; qui indutus sacco sedet in cinere, quia in contritione cordis recogitat

**incinerationem sui finis. Iste non in fundo celat, sed in ore scyphum argenteum confessionis portat, semper ad sui accusationem paratus. Et nota quod, dicit *suum scyphum*. Gratiam enim confessionis, non tibi sed Christo debes attribuere, a quo est quidquid boni in te est.**

**Ipsi ergo honor et gloria, qui de Benoni facit Benjamin, de filio doloris filium gratiae in praesenti, et in futuro faciet gloriae, quando cum positus ad dexteram audire merebitur: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (Cf. Mt 25, 34). Quod ipse praestare dignetur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.**